



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Sive Libellvs Mareoticorvm Clericorvm in causa Athanasii  
praefectis oblatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

Ægypti vna cum accusatore id agitis quod liber. Profitemur igitur nos videre in vestris actis malitiæ suspicionem, animaduertimusque vestrum aduentum nihil aliud in se habere, quam conspirationem & insidias: eaque de causa epistolam hanc vobis dedimus, monumentum testimoniumque istius rei aliquando futurum in vera & legitima Synodo; vt omnibus innotescat, quod inaudita altera parte, ea quæ libuit inter vos egeritis, & nihil studuisse, nisi vt conspiratione nos opprimeretis. Exemplar harum literarum etiam Palladio dedimus imperatoris Curioso, ne celari posset a vobis. Scelera enim quæ fecistis talia nos de vobis suspicari cogunt. Dionysius presbyter, Nilas presbyter, Longus presbyter, Aphthonius presbyter, Athanasius presbyter, Amyntius presbyter, Pistus presbyter, Plution presbyter, Dioscorus presbyter, Apollonius presbyter, Serapion presbyter, Ammonius presbyter, Gaius presbyter, Rhinus presbyter, Æthales presbyter, Marcellinus diaconus, Appianus diaconus, Theon diaconus, Timotheus diaconus.

EPISTOLA SIVE LIBELLVS  
MAREOTICORVM CLERICORVM  
in causa Athanasii præfectis oblatus.

*Flauio Philagrio, & Flauio Palladio ducenario palatino Curioso, & Flauio Antonino comitatuum præfecto centenario, dominorum meorum illustrissimorum præfectorum sacri prætorii, presbyteri & diaconi Mareotici ex regione & nomo, cuius episcopatum gerit reuerendissimus Athanasius, hæc vobis cum subscriptione nostra pro testimonio porrigimus.*

**Q**VONIAM Theognius, Mares, Macedonius, Theodorus, item Vrfacius & Valens missi ab episcopis qui Tyri in Concilium coierant, ad nostram parœciam profecti, dixere sese in mandatis habere, vt inquirerent in quadam ecclesiastica facinora, & inter cetera de calice confracto, cum iam antea ad id Ischyram quemdã subornassent, quem secum adduxerūt, hominem minime presbyterum, tametsi eo se nomine iactitet, quippe ordinatum a Collutho quodam, non vero sed imaginario episcopo, cui in generali Concilio ab Osio & a ceteris episcopis qui vna aderant iussum fuit, vt se pro presbytero, qualis antea fue-



ANNO  
CHRISTI  
335

rat, haberet, atque ideo omnes ab illo constitutos in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est, qui dicit se eam ecclesiam habere, quæ nunquam fuit, quippe quæ domuncula sit in prædiis cuiusdam pupilli nomine Isionis: ea res in causa est, ut hoc testimonio utendum putaremus, vos religiose adiurantes per omnipotentem Deum, & per dominos nostros Constantinum Augustum, & liberos eius illustrissimos Cæsares, ut hæc in cognitionem eorum pietatis referatis. Non enim Ischyras presbyter est catholicæ ecclesiæ, neque ecclesiam habet, neque vnquam calix contractus est, sed hæc omnia falsa & conficta sunt. Consulibus Iulio Constantio illustrissimo patricio fratre religiosissimi Constantini Augusti, & Rufino Albino, clarissimis & Deo gratissimis.

EPISTOLA SIVE LIBELLVS  
MAREOTICORVM AD SYNODVM  
pro Athanasio.

*Sanctæ Synodo beatorum episcoporum catholicæ ecclesiæ, Mareotici omnes & presbyteri & diaconi in Domino salutem plurimam dicunt.*

**N**os nequaquam ignari huius scripturæ, quæ ita dicit: *Quod viderunt oculi tui loquere*: & item illud: *Pro. 19. Quod falsus testis impunitus non erit*: ea quæ vidimus, testanda arbitramur: & potissimum, quia testimonium hoc nostrum necessarium reddidit conspiratio aduersus Athanasium episcopum nostrum inita. Admiramur autem, quomodo vel vlla tandem ratione Ischyras pro ecclesiastico habeatur; de qua re primum nobis referendum arbitramur. Ischyras enim nunquam ex sacris ecclesiæ comministris fuit, sed primum iactauit se Colluthi presbyterum; verum ita ut neminem haberet qui ipsi crederet, exceptis dumtaxat cognatis suis, ut qui nec vnquam ecclesiam obtinuerit, nec clericus ab vllis, nisi qui longius ab illius pago habitarent, vnquam sit creditus, solis dumtaxat eius cognatis exceptis. Idemque cum talem sibi titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo in præsentia patris nostri Osii depositus est, & cum laicis in ordinem redactus, atque in eo statu reliquum iam inde tempus permanfit: ad istum igitur modum inanis illius fama

*Concil. Tom. 2.*

Yyy ij